



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 4. De semine & zizanijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

bita) pradicat de afflictionibus matri prae-
cipue euenturis. Vt discas nullum esse purum
gaudium, in hoc mundo, sed in caelo seruari
hic vero tribulationem perferendas.

4. Hac Simeonis praedictione B. Virgo exci-
tata est ad multa pro Christo & cum Christo
perferenda, immo iam tum particeps facta est
gloriae, promissa ijs, qui pro Christo patiun-
tur. Itaque sicut Christo carissima fuit, ita de-
buit pro eodem plurima pati, vt esset REGINA
Martyrum.

5. In Christo quatuor hic laudantur. 1. SA-
PIENTIA, seu rerum omnium cognitio. 2. GRA-
TIA, qua plenus erat, ab omni macula im-
munitis & omnibus donis ornatus. 3. Quia CRES-
CEBAT quotidie corpore, & variis sapien-
tiae affectibus prodendis. 4. Quod maiores
VIREES spirituales semper accipere videretur;
vt discas quotidie in virtute progressum fa-
cere. Quoniam in via spirituali, non pro-
gredi, regredi est.

Vide Ia-
cob. Al-
uarez
Tom. 1. b.
5. cap. 10
Alfonf-
Rodri-
quez T.
1. tract. 1.
cap. 6.



MEDITATIO IV.
DE SEMINE ET ZIZANIIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. Homo (Christus) seminavit bonum se-
men in agro suo, sed cum dormirent
homines, inimicus super-
seminavit
Zizania. Matt. 13

II. Cum vtrumque creuisset, apparue-
runt

runt, zizania, & serui volebant eradicare, sed prohibuit Dominus, vt crescerent vsque ad messem.

III. Tempore messis, iussit zizania collecta in ignem conijci, triticum autem in horreum congregari.

PROPHETIÆ.

Hier 2. **P**lantauite, omne semen verum.
Isai. 61. **H**oc semen cui benedixit Dominus.

DOCUMENTA.

1. **A**ger est anima tua aratro contritionis proscindenda, iniecto semine bonorum propositorum (de virtute, exercenda, vitie emendaado) orationibus feruentibus & lacrymis irriganda, vt mundo moriatur, Deo viuatur.
2. Prouidendum, vt susceptum semen quotidie crescat, & ad maturitatem perueniat, quo in hora mortis, in Domini horreum congregari possis.
3. *Cum dormirent homines &c.* Inimicus quidem per se semper conatur praua supereminare: Sed saepe negligentia nostra in causa est, cur locum inueniat. Itaque semper vigila, cum tot habeas inimicos.
4. Diligenti custodia opus est, & animaduersione (maxime in examinandis omnibus propositis, & cogitationibus) ne peruersa in animo succrescant & bonas suffocent, atque impedian.
5. *Zizaniis iniectis inimicus abiit.* quia hoc Damo.

Demonis proprium est, vt animam, quæ malū semen susceperit, tristem ac perturbatam deserat. Sicut bonus Angelus, bono peracto, eandem latam ac pacatam reddit.

6. Messores sunt Angeli, tam boni, qui ad hominis bona conuertunt, vt Deo presentent; quam mali, qui zizania tua (mala quælibet) simul colligat, vt coram Deo te accusent.

7. Potes ipsemet esse messor, si mala tua scruteris, atq; in examine, confessione, aliisq; exercitiis eradices, aut igne poenitentia & caritatis comburas, teipsum hic iudicando, ne à Domino iudicèris.



MEDITATIO V.
DE OPERARIIS
VINÆ.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. Paterfamilias conducens mane operarios conuenit cum illis de denario diurno: mittit alios hora 3. 6. 9. 11. promittens quod iustum foret. *Mat. 20*

II. Vesperis misso procuratore, iussit singulis dari pro mercede vnum denarium, & primis conquerentibus, dixit: non facio tibi iniuriam, accipe quod tuum est &c.

III. TAN-